



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 34. Clemens hos Carthusianos reduces carceri includi jubet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

in meram verborum contentionem degeneraret.

§. XXXIV.

*Clemens hos Carthusianos reduces carceri includi jubet.*

Ergo hi duo Religiosi primo Avenionem perveniunt, ubi tum Bituricum Dux, summus Papæ Clementis VII. fautor agebat. Utrique horum isthæc Carthusianorum expeditio admodum ingrata accidebat; idcirco ne saltem mandati negotii sequeretur eventus, ambos in Carthusia Villanovæ prope Avenionem custodiæ tradi jusserunt. Nec minis tamen, nec acerbissimis injuriis extorquere poterant, ut Epistolam Bonifacii ad Regem Galliæ eis traderent. Universitas comperta hac violentia Carthusianis illata, apud Carolum VI. conquesta, tanto fervore causam egit, ut Rex durioribus verbis Clementi scriberet, se tolerare non posse, quod violato jure gentium viri, publicorum negotiorum causa

ad Pontificem missi, captivi detinerentur, ac propterea velle, ut ambo isti Carthusiani mox e vinculis solverentur.

## §. XXXV.

*Clemens ad instantiam Regis eos Lutetiam remittit.*

Clemens indignationem Regis pertimescens, Carthusianos liberos dimittit, caussatus, falso tamen, se concreditum illis negotium ignorasse; quinimo se quoque sincero ineundæ cum Bonifacio pacis studio flagrare ementitus, abeuntibus hisce Religiosis injunxit, ut Regi nuntiarent, se pariter ad tam salutare opus, quidquid virium in se esset, aut expectari posset, insuperhabito quoque propriæ dignitatis, ac vitæ suæ dispendio, sollicitè impensurum. Itaque iter aggrediuntur Carthusiani, sed non nisi sub finem Decembris Parisios deferuntur.

## §. XXXVI.